

n. 1147 43.

(x 2000376)



FUNUS.
Illustris & Generosissimi Domini,
DN. HENRICI
RUTHENI JUNIORIS,
& p. t. Senioris, Domini Plavvensis: Graitziæ,
Crannichfeldi, Geræ, Schlaiziæ
& Lobensteinl, &c.

d. III. Decembr. An. clō Is^e xxxv. piē denati
indicit

M. JOHAN-CHRISTOPHORUS
LUDECUS, Gymnasii Rutheno-
Gerani Rector.

Geræ ad Elystrum,
Typis ANDRÆ MAMITZL,
ANNO M DC XXXVI.

De Bono Principe



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and includes names and titles such as:
HERRN HENRICH
M. JONAS VON WISSTENBERG
T. JONAS VON WISSTENBERG
AND HIS WIFE



tu
ve
ta
in
fi
m
po
di
ip
te
fo
ru
de
in
lo
de
&
b
fe
C
h
h



Nillum præstabilius est, aut pulchrius munus **DEI**, quàm castus & sanctus, & **DEO** simillimus Princeps ac Magistratus, cui ita, ut gubernatori cursus secundus, vel medico salus, beata est civium vita propostita. Quale elegantissimum, inquit Plutarchus, in cœlo simulacrū sui **DEUS** Solem atq; Lunā infixit: tale in civitatibus ejus exemplū est atq; lumē Princeps, Siderum imperator Sol in sublimi positus motu suo cietur, & ut cœlestis hemerodrom⁹ ingens quotidie spatium emetitur, unus ipse cum lumina cœlo infert, & terras collustrat, tenebris depulsis, rerumq; fluxarum naturam fovendo & vegetando tuctur: sic equidem verus populorū rector non voluptati se defidiæq; dedit, sed ad Reipublicæ commodum assiduè incumbit, ut tanquam speculator altissimum locum obtinens, à Republicâ nunquam oculos dejiciat, ut prospiciat tempestatem futuram, & moderandis tuendisq; hominum societatibus divinā providentiam æmuletur, quæ conservatrix & gubernatrix est hujus universi. Quantò magnificentiori opum apparatu, vel honorum splendore sese novit præstare cæteris hominibus, tantò majore ope nititur, ut in

A 2

splen-

splendore commodet & juvet, ceu clarum & beneficum sidus, ad quod certatim advolant singuli atq; universi.

Quòd si adhuc dubium esset, hac hominum ætate an optimi rectores terris à supremo Numine darentur: Illustrum tamen, & Generosissimū Baronem HENRICUM RUTHE- NUM Juniolem & p. t. Seniolem, Dominum à PLAVVEN, &c. liqueret divinitus constitutum ita comparasse se hætenus, ita instituisse universæ vitæ rationem, ut omnes boni Magistratus numeros facile impleret: Neq; enim pietate in Deum, & ardentissimo propagandæ veritatis cœlestis studio ulli cessit. Nullum acroama ipsi jucundius & delectabilius accidit, quàm conciones sacræ: quas summo studio assidue frequentavit. Nullius oratione satis exprimi potest, quantâ ille non modò contentione, sed etiam dimicatione elaboraverit, ut omnium doctrinarum genera in scholis florerent: ut institutione ac disciplinâ probitatem & rerum intelligentiam Juvenes adipiscerentur: ut templum sumptuose exornata, & multiplici pretiosissimâq; suppellectile decorata cernerentur. Unus omnium maximè utilitatem subditorum sic defendit, ut quicquid ageret, ad eam referret, oblitus commodorum suorum. Quemadmodum

pater

pater aliquis in magnâ familiâ ad ^{na} sigulos animû
atq; oculos adjicit; ita patriæ pater HENRI-
CUS RUTHENUS intentis oculis omnes
reip. partes intuitus est, ejusq; cura pro salute
singulorum atq; universorum excubuit. Vi-
dimus, ut civium desideriis, ut cunctorum pre-
cib⁹ occurreret, ut justitiæ pertinax in cogniti-
bus velocissimi sideris more omnia inviserit, o-
mnia audiverit, & undecunq; invocatus sine ul-
lâ morâ & confestim adfuerit, & astiterit. Jam
quantum hoc erat, quòd cum summa humani-
tate, tum mirâ comitate antecelleret, ut nemo
tam humilis esset, cui non ad eum aditus pate-
ret, ut nihil severitati ejus hilaritate, nihil gra-
vitati simplicitate, nihil majestati humanitate
detraheretur. Tanta Baroni nostro concor-
dia, tantusq; concentus, omnium laudum, o-
mnisq; gloriæ contigit.

Magno igitur confossi vulnere, magno
turbati luctu sumus, cum Decembri mense an-
ni proximè circumacti optimo Barone, qui &
præsidium, & decus nostrum erat, privaremur.
Omnia confecta senio, squalent civitates uni-
versæ, mœret omnis ætas atq; sexus, & stupet
quasi, nec capit se ad tandem cladem. Omnia
planctibus, gemitibusq; circum sonant: undiq;
quærelæ & lamentationes audiuntur. Tolle

A 3,

aureum

aureū mundi oculum, & sepulta tenebris jace-
bunt omnia; Sic erepto nobis Barone, tanquam
benefico & salutari quodam fidere è cœlo in
terras demisso, quotus quisq; est, qui se se non
in flebiles questus profundat, & mœrore ac lu-
ctu oppletus jaceat? Omnes ad unum, si id per
conditionem humanam fas esset, maximum
seculi nostri Baronem à morte redimere & an-
nis suis vitam illius prorogare nimium quantū
cupiunt. Verū semel qui diem obiit supremum,
nullis votis, nullis lacrimis, nullo ejulatu resti-
tui in vitam potest. Sua cuiq; dies stat, & fixus
terminus est, ultra quem vitam producere ne-
mini licet, Beatus tamen & felix existimandus
est, qui ita vixit, ut lividis pœnæ, posteris gloriæ
sit, ejusq; desiderium etiam post mortem duret;
ita verò mortuus est, ut vivere non solum, sed
verè vivere videatur. Quàm beatissimus & per-
fectā propemodum felicitate humanā ornatus
plerisq; veterū visus est. Metellus Macedoni-
cus: Erat enim splendidis natalib⁹ ortus in eā ur-
be, quæ Regina & Domina orbis, cui par nihil, &
nihil secundū: naturæ munerib⁹ ita ornat⁹ erat,
ut non natus, sed à DEO fictus videretur: habe-
bat in matrimonio probatissimā uxore & libe-
rorū fœcundā. Illa quos partu edidit filios, hi u-
no tempore aut Consulares, aut Triumphales,
aut

aut Prætorii à parente visi sunt. Quib' amplissi-
mis honoribus jamdudum fama conspectum
eum fecerat. Non explicabo prolixè, quòd tres
filias felicissimè nuptui collocaverit: quòd ex
iis neptes, nepotesque & plurimos & suavissi-
mos suis ulnis exceperit, quorum inter ample-
xus & osculationes abundans annis, abundans
honoribus tranquillissimè vitam finivit senex
tandem, & subijcientibus filiis humeros func-
bri ejus lecto delatus in campum, crematusq;
Si itaque patria & genus, si virtus & dignitas, si
matrimonium quoque, liberi que præclari,
si denique provecta ætas, & facilis exitus eximi-
am & florentissimam beatitudinem con-
ferre putantur, tantum profectò abest, ut il-
lustrem Baronem, cujus nunc funus indicen-
dum, à raræ felicitatis exemplis excludamus, ut
potius eum vel ipso Metello illo majorem arbi-
tremur: Præterquam enim, quod hæc omnia,
quæ in unum Metellum confluxere, in nostro
quoq; egregia prorsus atq; insignia fuerint, ta-
men solius Christiani nominis splendor, quo
mirificè Generosus Baro effulsit, amplissimos
Romanorum honores, omneq; felicitatis mun-
danæ fastigium usq; adeò superat, ut quicquid
quantumvis egregium adhibueris, tenebras ad-
moveris, non lucem.

Germa

Germania omnium Europæ provincia-
rum latissima, regio ferax, & illustribus, stre-
nuisq; hominibus affluens magnis in laudibus
semper fuit. Hanc sortitus patriam Illustris
Baro, cum anno clo lo LXXII. d. x. Jun. post
mensem secundum, quam Generosus pater in-
ter vivos esse desierat, GERÆ ederetur in lu-
cem. Extorserat parentis obitus singulis tan-
tos fletus, gemitusq;, ut acerbissimus totâ au-
lâ, totâ urbe, totoq; territorio Rutheno luctus
versari videretur; Sed simul ac natus erat Gene-
rosus ille postumus, repente exultare lætitiâ, ac
palam triumphare gaudio cœperunt omnes, o-
mnes ad benè de Rep. sperandum quasi signum
aliquod sustulerunt. Habet scilicet has vices con-
ditio mortalium, ut tristibus læta substituantur,
& adversa secundis misceantur, nè mœror me-
dicinâ careat, nec lætitiâ expers disciplinæ sit.

Quid nunc illustrem familiam Ruthenam,
cujus nomina longo ordine ac multis stemma-
tum illigata flexuris, commemorem? Hæc cum
ipsa per se & antiquitate & majorum gloriâ no-
bilissima est, tum hoc nobilior, quod non cum
plurimis Comitibus & Baronibus tantum, sed
& Pomeranorum, Meckelburgensium, & Has-
sorum Ducibus potentissimis multiplici se jam
pridem affinitate devinxit. Ex hac tam inclita
gente

gente ortus Baro noster, patrē habuit Dn. HEN-
RICUM, qui cum Remp. singulari prudentiæ,
æquitatis & moderationis laude administrasset,
& memoriam pietatis suæ præclaram studio il-
lo, quo CONFESSIÖNEM GERANAM con-
scribendam & typis excudendam curavit, reli-
quisset, diem suum obiit An clo lo LXXII. d. vi.
April. Matrem nactus est DOROTHEAM
ex illustri Solmensium Comitum familiâ ori-
undam, quæ sexus muliebris virtutibus præ-
stans, pietati ita dedita fuit, ut hanc solam co-
lere videretur, sacrumq; Codicem ita assiduè
versavit, ut quæ ad rectè instituendam vitam,
aut stabilienda fidei capita faciunt, exactissime
teneret.

His igitur parentibus quum nec virtute
præstantius, nec genere eminentius quicquam
fuerit, nemo non videt, quantum ornamenti
ac luminis in Baronem nostrum redundarit.
Nihil autem attinet præclaris parentibus geni-
tum esse, si à majorum virtute degeneres: Nam
ut animalia, quorum strenua opera est, Gene-
rosa dicimus: sic generosi homines ex sua pro-
priaq; non aliena aut adscititia virtute judi-
candi. Quare Generosa mater, summâ curâ,
summâq; industria providit, nè filius ulli rei ma-
jorum institutis indignæ operam daret, sed ho-
nestissimis

B

nestissimis



nestissimis doctrinarum studijs & virtuti à primordio ætatis deditus esset. Multum enim refert, quibus odoribus testa recens imbuatur. Animus à pueritia corruptus, vitiis deinde delectatur, & ad suavem virtutis odorem expavet; virtute autem imbutus vitia execratur, & morum sanctitate nihil aliud prius atq; antiquius ducit. Magistris itaq; ac pædagogis in manus datus ac commissus noster fuit, quorum sedulâ & accuratâ informatione eximios progressus in literis & virtutibus fecit domi; donec tandē adolescens in Academiam Jenensem tanquam ad mercatum sublimioris literaturæ amandatus est: ubi per integrum annum commorans, nihil nisi dignum splendore generis, dignum generosa indole molitus est & egit. Generosa autem matre & Perillustri Tutore Dn. OTTONE Comite Solmensi jubentibus, Jena discessit & Argentoratum ivit, quod tūm studiosorum multitudine & cum primis septem Principum, ac triginta trium Comitum Baronumq; celebritate florebat. Hic toto triennio in literas diligenter incubuit, & multum operæ in dicendi quoq; facultate posuit, ita ut luculenta excelsi ingenii documenta abundè ederet, & Orationes aliquot, quæ eloquentissimi Viri Melchioris Junii orationum Tomo secundo

secūdo insertæ sunt, publicè recitaret: Est enim propriū jā olim Eloquentiæ studiū iis, qui summo loco nati, & ad capesendā Remp. præparantur: adeò ut Romanorū præcipui quiq; Imperatores non minus eloquentiæ, quàm armorum studio excelluerint, Anno clo 1o XCV. d. VI. Jun. quo fermè tempore viginti tribus annis ante lucem prosperè acceperat, gubernationis munus suscepit, posteaquam tutor officio se abdicaverat, & subditi cupidius illi instabant, ut imperii clavum teneret. In eo autem munere ita versatus est, ut omnium in se amorem derivaret, & famam virtute & meritis longè lateq; propagaret. Ac Imperatoribus quidem ipsis, Regibus & Principibus ita carus atq; acceptus fuit, vix ut quisquam unus uni carior foret, quam unus hic universis. Pervulgata res est, interque omnes constat, quòd à RUDOLPHO II. Imperatore invictissimo in Consiliariorum numerum adlectus sit, nec semel Cæsareæ Majestatis, ut & Sereniss. Electorum Saxonix nomine legationes magna cum dexteritate & prudentiâ obierit: adeò, ut non tantum legantibus cumulatisimè satisfaceret, sed etiam iis, ad quos missus erat, jucundissimam virtutum suarum memoriam relinqueret.

B 2

Ad

Ad conjugium, invocato supremo Numine, animum appellens Illustrem & multis virtutibus ornatissimam Dn. MAGDALENAM ex spectabili stirpe Comitum de Hohentorhe & Langenburg generatam matrimonio sibi junxit, & ex ea filiam DOROTHEAM MAGDALENAM tulit, quæ dein Illustri Dn. Dn. GEORGIO, Burggravio Kirchenbergensi & L. Baroni de Sarrenrothe nupta facta est. Verum enim verò, ut omnia hominum sunt tenui filo pendentia, nec privatorum sola, sed Magnatum etiam & Principum vita fluxa, fragilis, caduca, & omnibus fortunæ telis obnoxia est; Illustrem istam Baronis nostri Conjugem Anno clo lo xcvii improvisa & gravis ægrotudo oppressit, rebusq; humanis exemit: Hinc aliquo tempore post matrimonium iterans connubiali pacto sibi devinxit Illustrem & Generosam Dn. MAGDALENAM, inclita Comitum Schvartzburgensium Rudelstadiensis lineæ prosapiâ genitam, quæ ut marito in gloriam & decus celsit, ita & conjunctissimè & amantissimè cùm eodem vixit. Amoris testes sunt prorumpentes & per sinum imbris more labentes lacrimæ, quibus defunctum adhuc deflet & dolentius deplorat. Cæterùm tam mirâ fecunditate Deus hoc conjugium ornavit, ut Baro noster xvii liberorum, de quibus septem

BA

2 B

ptem



ptem jam olim naturæ concesserunt, pater factus sit, & quidem hujusmodi, qui generosæ & emendatissimæ indolis essent, nec tantum spem præclaram præberent de se, sed & re ipsa ostenderent, qui & ex quibus nati. Quid enim de pietate, clementia, moderatione, & prudentia HENRICI II. Respublica sibi non potest promittere? Quid non de HENRICO III. Barone generosi animi & ad magna nato patriæ pollicebimur? Qui non tantum æquè ac frater peregrinationum suarum fructum cepit maximum, sed & militarem quoq; Mathesin mirificè excoluit, & quicquid ad communiendas urbes, & expugnandas, opera statuenda, castra collocanda, aciem instruendam, præliumq; committendum facit, familiare sibi & notum reddidit. Ut nunc de HENRICO IX. & X. nihil dicamus, quorum ille optimæ frugis ac spei eximia est; hic Princeps Juventutis dici meretur. Filiarum, quæ superant, major JULIANA MARIA ex amplissimo genere in familiam clarissimam nupsit Illustri & Generosissimo Dn. Dn. DAVIDI Mansfeldiæ Comiti: Altera AGNETA itidem Mansfeldiæ Comiti Dn. ERNESTO LUDOVICO conjugem dedit. Tertia Dorothea SYBILLA nuptiis locata est Generoso Dn. Dn. CHRISTIANO Schencken/L. Baroni de Fautenberg //

tenberg &c. Ex his neptes nepotesq; reliquit plurimos, non infelicioꝝ avus, quàm pater. Ut planè in illum conveniat, quod sanctus vates alicubi dixit: **GENERATIONI JUSTORUM BENEDICETUR.** Equidem tot Generosos & omni virtute inclitos filios, tot illustres & summâ dignitate conspicuos sortiri generos, non casu contingit aut fortè fortuna, sed singulare Dei munus est, quod impertire solet iis, quos eximiâ caritate diligit.

Venimus nunc ad supremum tempus, dicendumq; tandem de excessu Baronis optimi est, qui utinam tardius evenisset. Sed omnibus in rebus **DEI** beneplacito acquiescendum: nec ullum ad depellendum animi dolorem presentius equidem remedium est, quàm penitus infigere animo, ita voluisse **DEUM**: à quo, cum optimus ipse sit, nil nisi bonum & optimû pro manare potest.

Postquam ineunte Decembri destillationes & assidua pituitæ fluxiones Generosissimû Baronè malè haberent, dare operâ voletudini, & Medicorû adhibere auxilia cœpit. Quorû attentissimâ curâ recreari & ad sanitatē redire visus est, ut nihil propemodum timeretur, & ipse jam convalituri similis d. III. Decembr. largiter cœnaret, aliisq; indicijs spè, quâ de ejus vale-

tu

tudine omnes conceperant; confirmaret.
Dum verò à cœna precibus vespertinis, quæ
in ipsius conclavi totâ familiâ coram indies
pronunciabantur, devotè vacasset, & jam
quieti se traditurus lectum repeteret, ecce ci-
tius mors, quam somnus obrepit, & acu-
tius rheuma Baronem immortalitate di-
gnum & natum ad relinquendum omnibus bo-
nis desiderium sui extingvit, inevitabilemque
ei affert ex hac vitâ migrandi necessitatem.
Sortitus itaque optimus Baro exitum subitum
& facilem, ac sine ullo dolore vitâ defunctus est.
Qui quidem obitus ut præter spem, atque opinionem nostram ac-
cidit; ita procul dubio Baroni nostro haud insperatus & ino-
pinatus evenit: Nam pij hominis officium secutus assiduis co-
gitationibus de æterna atque cœlesti vita, terrenis omnibus con-
temtis, animum exercuit, & ad mortem jam diu ante se præ-
paravit: nam multi anni lapsi sunt, cum illud Psalmistæ effa-
tum, QUID ENIM MIHI EST IN COELO? ET A TE QUID VO-
LUI SUPER TERRAM? delegerit, quod in exequiis suis olim
pro concione funebri tractaretur. Ordinavit & alia multa,
quæ inter solemnia funeris observari vellet. Nempe, cujus
& ipse non immemor fuit, hoc affigamus animo, hoc nobis sub-
inde dicamus: Moriendum est. In procinctu stet animus: &
quod necesse est, nunquam timeat: quod incertum est, semper
exspectet. Tantum igitur abest, ut Baronem nostrum, qui ex
mortalitatis diversorio celerius commigravit, infelicem judi-
cemus, ut eo etiam feliciorum putemus, quod tam celerrimè &
sine ullo cruciatu ab istis locis ærumnarum plenis in illam in-
numerabilibus felicitatibus redundantem affluentemque regio-
nem pervenerit. Metelli felicitas, quâ admirabilis, hac ipsa
vita finita fuit & universa cum eo evanuit; at suâ noster ab obi-
tu non

tu non modo non destitutus, sed longè majore divinioreq; po-
ritus est, in quam nulla cadit mœstitia, perturbatio, sollicitu-
do, nullus morbus, nulla mors, sed merum gaudium, mera,
quies, mera securitas.

Quod super est, Generosissimi Baronis corpus, in quo il-
le excelsus animus annos sexaginta & tres, menses sex, tanquã
hospes præstantissimus, in angusto domicilio commoratus est,
hodie ex arce apparatusimo funere efferetur, & habita concio-
ne funebri in templo parochiali tumulo mandabitur. Vir-
tutes autem Optimi Baronis summæ merentur quàm maximè,
ut officium funebre ab universis & singulis ei quàm cu-
mulatissimè præstetur. P. P. ad diem IV Febr.

Anno recuperatæ gratiæ cl. 16 c xxxvi.

1147
FINIS.

M.C.



h. 1149 43.

(x20)

FUNUS.
 Illustris & Generosissimi
 DN. HENRICH
 RUTHENI JUNIORIS
 & p. t. Senioris, Domini Plavv
 Crannichfeldt, Geræ, S
 & Lobensteinl, &

d III. Decembr. An. c13 15^e xxxv
 indicit

M. JOHAN-CHRISTO
 LUDECUS, Gymnasii R
 Gerani Rector.

Geræ ad Elystrum,
 Typis ANDREÆ MAN
 ANNO M DC XXXV



Kodak
 LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches
 Centimetres

Blue
 Cyan
 Green
 Yellow
 Red
 Magenta
 White
 3/Color
 Black

